

Quemadmodum grammatica Latina in locutiones cotidianas infundi possit.

Saluete omnes. Saluetote omnes

Saluete uos omnes /quot estis/quotquot estis/ quotcumque estis/.

Salui sitis uos omnes

Vos omnes saluere iubeo.

Vos omnes saluos esse iubeo.

Valete uos omnes.

Valetote in crastinum (diem), in proximam /scholam/ auditionem/, in proximum Lunae, Martis... diem, in proximam septimanam.

Curate ut (quam optime) ualeatis.

In auditorium iam intrate et uos locate. Licet iam in auditorium /introeatis / intretis/ ingrediamini.

Suum quisque locum petat. Suam quisque sedem petat summo silentio.

Considite et /ex /de/ capsis uel saccis (scholaribus) libros fasciculosque promite.

Antequam /in rem hodiernam/ rei hodiernae/ incumbamus, nomina uestra recitabo : respondeant inuicem qui adsunt.

Abestne hodie Tartempio? - Abest ; illum igitur in libello absentem noto.

Quis uocaris, tu? Velisne mihi, quaeso, /nomen (tuum)/ quis uoceris/ commemorare?

Hoc ineunte anno mihi /perdifficile/ difficilium / est omnium uestrum nomina - tot enim estis ! - memoria firme tenere.

Fac (ut) tuum nomen /reminiscar/ recorder/. Fac ut meminerim /nominis tui/ quod tibi sit nomen.

In mensis (scriptoriis) nil aliud uidere uolo /nisi quae ad Latina pertinent/ nisi ad hodiernam exercitationem pertinentia/ ; cetera autem in sacculis condite.

Iam in promptu libros apertos habetote ; vos rogo ut libros sumatis eosque euoluatis in paginam tricesimam quartam.

Quam ob rem tibi, Tartempio, deest liber? Cur sine libro /ad scholam/ ad ludum/ uenisti? Eius/ Eum/, ut opinor, denuo domi es oblitus? O mentem pertusam!

Velisne tu, Tartempio, ad tabulam uenire? Hac spongia scripta dele ; quo facto eam sententiam quam dictabo inscribe. Studedum ut litteras decenter conformes, ut ab omnibus scripta facile legantur. Grandioribus scribe litteris meliusque conformatis, /ne condiscipuli in legendo oculos laedant/ ne in minutis litteris legendis aciem oculorum consumant.

Potesne/ Possisne, tu, /Isabella/Petre/ Iohannes/, quid superiore auditione acceperis condiscipulis breuibus uerbis commemorare?

Non ignoratis in diem hodiernum breue pensum me uobis dedisse. Nisi fallor, uos rogaueram ut omnia uerba nouissimi capituli memoriae mandaretis. Hoc fecistis, ut uos monueram? Quis uestrum illa uerba memoria bene custodiuit eaque memoriter reddere possit , cum translatione?

A uobis petieram ut /in Latinum/ in Francogallicum/ tertiam sententiam paragraphi alterius transferretis. Ecquis uestrum illam sententiam uertere uelit? Tune, Marce? Priusquam uertas, te rogo ut sententiam hanc clara uoce et cum accentu legas ; dein eam uertere licebit. Tot errores/ uitia/ in uertendo commisisti ut ista sententia tua nil omnino significet. Ideo, ut credo, peccauisti

in hac sententia uertenda, quod terminationes uerborum non satis attente perspexisti. Non uidisti hunc esse casum datiuum ? hunc esse ablatiuum absolutum? hunc esse modum coniunctiuum?

Fac, Petre, (ut) istum fasciculum tuum uideam. Quam incuriose fecisti! Litterae tuae tam male sunt conformatae ut uix te legere possim ; posthac cura ut in scribendo paulo /curiosior/ diligentior/ sis.

Animaduerto te, Petre, exercitium tibi commissum non perfecisse. Velisne me certiore facere quid tibi impedimento fuerit quominus hanc exercitationem perficeres. Dic mihi /quam in difficultatem offenderis/ quid tibi fuerit difficultati/. Quis ad finem huius exercitationis peruenire potuit?

Me attente audite auribus late apertis et oculis /a chartis/ a libro/ remotis. Ad hanc quaestionem meam /aliquem uelim respondere/ uelim aliquis respondeat/ ecquis respondere potest?/. Age tu, Syluia, mihi responde. Non est quod ad respondendum adeo /cuncteris/ dubites/ ; quieto esto animo; non refert errorem admittas necne, nihil enim est periculi in perperam respondendo. Si omnia scires, quid tibi opus esset magistro /magistri auxilio? - Perbene respondisti, gratias tibi ago; uides igitur nullam tibi fuisse /dubitandi/ cunctandi/ causam.

Marce, interroganti mihi responde. Caue ne inconsulte respondeas ; quare, ne /quid erroris/ quem errorem/ stulte committas, tibi prius cogitandumst. Noli respondere praecipitanter ; ne responderis quin prius aliquid /temporis/ spatii/ sumpseris ad cogitandum. Marcus, ut uideo, in angustiis uersatur nec quaestionem hanc soluere potest ; quis uestrum pro illo respondere potest? quisnam adeo benignus erit ut illi auxilio ueniat?

Oportet prius cogites quam respondeas, ne inepta /dicas/ loquaris.

Vt explorem quid ex superiore auditione tenueritis, /chartam/ folium papyri/ iam sumite et ad has quaestiones rescribite. Nolite obliquis oculis responsa adsidentium spectare.

Noli, Clara, per fenestram spectare. Tibi intendendum (est) ad ea quae in auditorio aguntur. Quid tua refert quid foris fiat?

Tibi saepius iam dixi, Petre, ne cum (tibi)adsidente fabuleris. Noli fabulari cum eo qui propter te adsidet : tanta garrulitas tua mihi odio est. Non uides totam classem te sic disturbare!

Iohannes, iam millies te monui ne in auditorio cummim masticabilem manducares. Quotiens idem te monere oportebit ? Hoc exspue quam primum. A te instanter peto ut hoc illico exspuas.

Ecce iam tintinnabulum tinnit. Audistis tinnuisse tintinnabulum; quo signo uobis conceditur spatium ad mentes cruraque relaxanda.

Tempus iam est res uestras ordinare et in capsis condere. Tempus iam est uestra ordinandi et in capsis condendi. Tempus iam uenit rerum uestrarum ordinandarum et condendarum. Licet iam uestra in capsis condatis atque egredi paretis. Priusquam egrediamini, iterum uos moneo me uobis exercitationem dedisse perficiendam in proximum Veneris diem. Huius ne sitis immemores. Ab unoquoque uestro exspecto /ut huic breui penso curam quam maximam adhibeat/ ut huic exercitationi accurate operam det/ ne labori parcat.
